

S. Bernardus. * Sane esse omnium dixerim Deum, non quia illa sunt quod est ille, sed quia ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Esse est ergo omnium quae facta sunt ipse factor eorum, sed *causale*, non *materiale*. (Serm. 4. in *Cantic.*) Et alibi. * Ipse (Deus) sibi, ipse omnibus est, ac per hoc quodammodo solus est, qui summus ipsius est et omnium esse... ex quo omnia *creabiliter*, non *seminaliter*. (5. *De Consid.* c. 6.)

Obiectio V. — Philosophi veteres vix non omnes axiomatis loco pronuntiatum illud habebant, *Ex nihilo nihil fit*. Ergo omne fieri vel est inanis quaedam illusio, vel transmutatio divinae substantiae.

Respondeo. *Conc. antec., neg. consequ.* Haec veterum philosophorum ignoratio vel oscitantia, in re tam gravi et naturali lumine manifesta, luculenter ostendit utilitatem summam atque adeo moralem necessitatem supernae revelationis, ut ea etiam quae naturali ratione de Deo investigari possunt, cuiusmodi profecto est factum creationis, convenientius et certius cognoscantur [*Pr. Ph.* 426]. Ceterum ea non debet esse ratio quamobrem vel creatio negetur vel sola divina revelatione cognosci posse dicatur. Apposite Angelicus. * Communis enim philosophorum positio ponentium ex nihilo nihil fieri... veritatem habet secundum illud fieri quod ipsi considerabant. Quia enim omnis nostra cognitio a sensu incipit, qui singularium est, a particularibus considerationibus ad universales consideratio humana profecit: unde principium rerum perquirentes, particulares factiones entium tantum consideraverunt, inquirentes qualiter vel hic ignis vel hic lapis fiat... Profundius autem ad rerum originem ingredientibus, consideraverunt ad ultimum totius entis creati ab una causa processionem... In hac autem processione totius entis a Deo, non est possibile fieri aliquid ex aliquo alio praecedente: non enim esset totius entis creati factio. (2. *Cont. Gent.* c. 37.) Atque haec modo sufficiant de hac re: plenius quippe explicabuntur in postrema Disputatione.

DISPUTATIO III.

DE VITA DIVINA

SECTIO I.

De perfectione divinae sapientiae generatim.

467. **Totius Disputationis argumentum.** — In Disputatione praecedenti ea attributa divinae naturae expendimus quae ad proprium eius *essendi* modum referuntur, quaeque a pluribus *quiescentia* vocantur. Reliquum est, prout initio polliciti sumus, ut ea consideremus quae pertinent ad operationem ipsius quaeque idcirco *operativa* dicuntur. In praesenti Disputatione divinam sapientiam ac voluntatem dumtaxat contemplantur: huc enim pertinet primus modus operationis quae naturae cuiuspiam convenit, quae nimirum manet in ipso operante. Patei vero, perinde esse de sapientia divina ac voluntate agere, quam ipsam vitam divinam contemplari: secundum hoc enim Deus vivit, quod intelligit et vult.

468. **Existentia divinae scientiae.** — Iam age, Deum intellectu et eximia scientia gaudere, iure merito hic supponere licet. Id enim argumentum cosmologicum quo Dei existentiam comprobavimus, directe ostendit. Scientia praeterea principem locum procul dubio tenet inter perfectiones simpliciter tales, eaque propterea Deo formaliter tribuenda est. Accedit denique, quod haec perfectio proxime

pullulet ex ipsa immaterialitate seu spiritualitate substantiae, ut suo loco ostensum est [207]. Si itaque Deus est spiritus purissimus, intelligentia et scientia eaque summa praeditus esse debet. Cum porro haec nomina adhibemus de divinis agentes, semper habenda est prae oculis generalis regula quam ante tradidimus [420], ut scilicet removeatur semper omnis imperfectio quam vel ex modo significanti praeseferunt vel ex modo proprio creaturarum nanciscuntur. * Dicendum, ait Angelicus, quod ea quae sunt divisim et multipliciter in creaturis, in Deo sunt simpliciter et unite... Homo autem secundum diversa cognita habet diversas cognitiones. Nam secundum quod cognoscit principia, dicitur habere intelligentiam; scientiam vero, secundum quod cognoscit conclusiones; sapientiam, secundum quod cognoscit causam altissimam; consilium vel prudentiam, secundum quod cognoscit agibilia. Sed haec omnia Deus una et simplici cognitione cognoscit, ut infra patebit. Unde simplex Dei cognitio omnibus istis nominibus nominari potest, ita tamen quod ab unoquoque eorum, secundum quod in divinam praedicationem venit, secludatur quicquid imperfectio est et retineatur quicquid perfectionis est. * (*Summa th. 1. p. q. 14. a. 1. ad 2.*) Ceterum, si ex istis nominibus scilicet velimus quod nobilis videtur ad hanc perfectionem Dei designandam, hoc est *sapientia* profecto; signidem eo significatur scientia non quaecumque sed perfectissima et suprema. Confer quae diximus [*Pr. Ph. 381*].

469. *Attributa divinae sapientiae.* — Facile etiam ex dictis colligere possumus generalia attributa seu dotes quibus divina sapientia insignitur. Quatuor praecipue numerantur.

I. Primo itaque consideranda est eius summa *simplicitas*, quae scilicet compositionem omnem sive realem sive etiam virtuale excludat. Nulla proinde diversitas est, si de divina sapientia agatur, substantiae, potentiae, et operationis, quemadmodum cernitur in sapientia creata: nulla etiam potest esse in Deo multitudo intellectuum, aut ullius speciei intelligibilis accessio quo divina mens aetnetur et quasi

fecundetur. Haec enim omnia compositionem efficerent a divina natura Dei alienissimam.

II. Cum haec summa simplicitate divinae scientiae coniungitur *infinita plenitudo* perfectionis in ratione scientiae seu sapientiae. Quidquid proinde nobilitatis sive *intensive* sive *extensive* in ea ratione concipi potest, id sine ullo limite aut mensura de divina sapientia affirmari debet. Est propterea certissima et absolute infallibilis, clarissima atque evidentissima, perfectissime denique iudicativa et comprehensiva totius veri. Haec omnia patent etiam ex his quae ante disputavimus generatim de infinitate divinae perfectionis.

III. Tertio meretur specialem considerationem divinae sapientiae *aeternitas*. Nimirum praeclara illa definitio aeternitatis quam ex Boethio paulo ante declaravimus [446], divinae sapientiae, qua talis est, adamussim omnino quadrat. Quemadmodum itaque divina substantia ratione suae aeternitatis initium, finem, ac successionem quamcumque plane respuit in suo esse; similiter etiam divina sapientia. Quare non aliter ea se habet sive ante sive postquam res contingentes evenierint, neque aliter modo ac si nihil unquam creatum fuisset aut creari debuisset, sed uno eoque plane immutabili intuitu quorumcumque temporum etiam possibilem seriem et differentias complectitur, quemadmodum visus noster se protendit ad ea quae in praesentia geruntur. Quare S. Thomas. * Quum intelligere Dei, quod est eius esse, aeternitate mensuretur, quae sine successione existens totum tempus comprehendit, praesens intuitus Dei fertur in totum tempus, et in omnia quae sunt in quocumque tempore, sicut in subiecta sibi praesentialiter. * (*Summa th. 1. p. q. 14. a. 9.*)

IV. Quarto denique spectari potest divinae sapientiae *immensitas*, in amplitudine scilicet obiectorum ad quae se protendit. Nihil enim invenire licet quod quocumque modo sit intelligibile, quodque ulla ratione lateat divinae sapientiae intuitum. Hanc divinae scientiae perfectionem exprimere solemus cum dicimus, Deum esse in omnibus per *praesentiam*, ut suo loco exposuimus [436].

Haec aliaque his gemina explorata sunt per se ac sponte fluunt ex his quae in duplici praecedente Disputatione explicata sunt. Venio prouide ad ea quae minus apparent et speciali egent disquisitione.

THESIS XIII.

Deus se et alia perfectissime intelligit et comprehendit. Primo tamen et per se non intelligit, nisi seipsum.

470. *Probatio I partis.* — Tametsi res explorata videri potest ex dictis quod in hac prima parte asserimus, speciatim tamen declarandum assumimus, ut propria et proxima eiusdem ratio constet.

I. Ac primo quidem manifestum est, Deum seipsum intelligere, ex ipsa propria natura intelligentis. Ideo enim quae solo sensu gaudent, sui conscientia privantur, quia cognitio sensitiva est actus organiceus; quare intellectus, utpote facultas plane immaterialis et inorganica, in se perfecta reflexione redire potest. Atqui scientia divina cognitione constat maxime intellectuali et immateriali. Ergo Deus semetipsum cognoscit. Haec vero cognitio comprehensiva sit oportet. Ratio est, quia tanta est virtus Dei in cognoscendo, quanta est eius cognoscibilitas: utrumque enim nititur in eadem purissima actualitate divini esse. Atqui res dicitur cognitione comprehendi, cum ita perfecte cognoscitur sicut cognoscibilis est [307]. Ergo. Lege divinum Thomam (*Summa th.* 1. p. q. 14. a. 3.).

II. Quod vero Deus etiam alia a se intelligat et comprehendat, propriam et pulcherrimam rationem S. Thomas derivat ex eo quod Deus sit prima rerum omnium causa. Etenim si Deus est causa eiusmodi, virtus ipsius ad omnia se extendit, quatenus scilicet nihil quocumque modo est aut esse potest, nisi quatenus a divina virtute pendet aut

pendere potest. Quicumque autem comprehendit aliquam virtutem, necesse est comprehendat etiam ad quae ea virtus se extendit. Cum itaque Deus seipsum suamque virtutem comprehendat, necesse est cetera omnia intelligat et comprehendat. * Et hoc, addit Angelicus, etiam evidentius fit, si adiungatur, quod ipsum esse causae agentis primae, scilicet Dei, est eius intelligere. Unde quicumque effectus praexistunt in Deo sicut in causa prima, necesse est quod sint in ipso eius intelligere, et quod omnia in eo sint secundum modum intelligibilem. Nam omne quod est in altero, est in eo secundum modum eius in quo est. (loc. cit. a. 5.)

471. *Declaratio et probatio II partis.* — Deum primo et per se non intelligere nisi seipsum, expressa est sententia Aquinatis (1. *Cont. Gent.* c. 48.), et hoc sensu tantummodo recipimus quod nonnulli dicere solent, divinam scilicet essentiam dumtaxat esse *obiectum formale* (1) divini intellectus. Dicitur porro Deus primo seipsum cognoscere, quatenus, ut ibidem loquitur S. Doctor, ipse est *principale intellectum seu principaliter cognitum*, ideoque cetera a Deo non intelliguntur nisi ut ordinata aliquoties ad ipsum, tanquam ad principium et finem. Dicitur deinde Deus semetipsum per se intelligere, quia divina essentia *ratione sui*, h. e. ex propria dignitate et actualitate, est obiectum actu intelligibile a Deo, Haec porro utraque conditio, ex mente eiusdem Aquinatis l. e., idcirco habetur in essentia divina, et solum in ea, respectu divini intellectus, quia Deus nihil cognoscit, nisi per suam essentiam, *tantumquam per speciem adaequatam suo cognoscibili*.

Terminis ita declaratis, patet veritas rei quam asserimus.

I. Ac primo quidem manifestum est, Deum ipsum esse *principale cognitum* a divina scientia propterea quia unica

(1) De multiplici aequivocatione quae latere potest, cum obiectum appellatur *formale*, vide quae ante retulimus ex Ludovico de Lossada [255 nota].

quasi species intelligibilis divinae mentis est ipsamet eius essentia. Si enim divina essentia est unica quasi species qua veluti formatur acies divini intuitus in rebus cognoscendis, illud certe erit principale intellectum a Deo, quod principaliter repraesentatur per divinam essentiam. Atqui divina essentia principaliter non repraesentat nisi seipsam. Prob. hoc. Nam cetera sic repraesentantur per divinam essentiam, prout ontologie vera sunt seu intelligibilia. Atqui sunt ontologie vera seu intelligibilia, pro eo quantum sunt entia. Sunt autem entia per participationem. Ergo sunt ontologie vera et intelligibilia veritate et intelligibilitate participata. Atqui rursus evidens est ex terminis, ea quae sunt eiusmodi, non esse intelligibilia nisi ut sunt aliquantulum ordinata in Deum ut principium et finem, quod est proprium obiecti secundarii. Ergo divina essentia seipsam sic repraesentat divino intellectui, ut cetera non nisi secundario contemplanda offerat et per quamdam quasi resultantiam. Id vero significatur cum dicitur Deus seipsam tantum primo intelligere.

II. Manifestum est etiam ex eadem ratione, Deum seipsam tantum *per se* intelligere. Unumquodque enim est actu intelligibile secundum speciem, qua est in intellectu ut forma et perfectio eius: unde generale illud principium. *Intellectus in actu est intellectum in actu.* (*Summa th. 1. p. q. 85. a. 2. ad 1.*) Ergo si divina essentia est sola quasi species intelligibilis divinae mentis, ipsa sola *ratione sui*, seu ratione suae actualitatis, est actu intelligibilis relate ad divinum intellectum. Cetera propterea non ratione sui id habent, sed in quantum essentia divina est intelligibilis species eorumdem: quod quo modo verificetur, paulo inferius declarabitur.

472. *Coroll. I.* — **Deus alia a se propria et distincta cognitione cognoscit.** — Ex dictis patet imprimis, creaturas omnes divinae cognitioni observari non solum secundum communia praedicata ipsarum, sed secundum quancumque differentiam sive specificam sive etiam individualem. Tantum enim se protendit divina cognitio, quantum se protendit causalitas divinae virtutis. Haec vero

se extendit ad perfectionem quancumque quae relictur in creaturis. Ad perfectionem autem creaturarum pertinent non solum id in quo conveniunt, sed etiam ea per quae invicem distinguuntur. Quare, concludit S. Thomas: "Deus non solum cognoscit res esse in seipso; sed per id quod in seipso continet res, cognoscit eas in propria natura, et tanto perfectius, quanto perfectius est unumquodque in ipso." (*Summa th. 1. p. q. 14. a. 6. ad 2.*)

473. *Coroll. II.* — **In Deo est perfectissima scientia eorum, quae actu non sunt, sed esse possunt.** Sequitur manifeste ex eodem principio. Si enim Deus comprehendit suam virtutem, necesse est intelligat omnia quae sunt in potentia suae virtutis. Atqui constat, non omnia actu esse quae sunt in potentia divinae virtutis. Quare S. Thomas: "Non oportet quod quaecumque quae scit Deus, sint vel fuerint vel futura sint; sed solum ea quae vult esse vel permittit esse. Et iterum non est in scientia Dei quod illa sint, sed quod esse possint." (*loc. cit. a. 9. ad 3.*)

474. *Coroll. III.* — **In Deo est perfectissima scientia malorum.** — Secus enim non perfecte cognosceret bona quorum ipse est causa. "Dicendum, ait Angelicus, quod quicumque perfecte cognoscit aliquid, oportet quod cognoscat omnia quae possunt illi accedere. Sunt autem quaedam bona quibus accedere potest, ut per mala corrumpantur; unde Deus non perfecte cognosceret bona, nisi etiam cognosceret mala. Sic autem est cognoscibile unumquodque, secundum quod est; unde cum hoc sit esse mali quod est privatio boni, per hoc ipsum quod Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala, sicut per lucem cognoscuntur tenebrae. Unde dicit Dionysius c. 7. de Divin. Nomin., quod *Deus per semetipsum tenebrarum accipit visionem, non aliunde videns tenebras quam a lumine.*" (*loc. cit. a. 10.*) Addit vero S. Doctor, dari quidem in Deo scientiam malorum, sed non *ideam*. Idea enim accipitur vel ut exemplar in mente artificis, vel ut principium cognoscendi, per modum scilicet speciei intelligibilis. Neutrum vero competit malo ut malum est, praesertim respectu Dei.

* Dicendum, ait S. Thomas, quod malum cognoscitur a Deo non per propriam rationem, sed per rationem boni: *et ideo malum non habet in Deo ideam, neque secundum quod idea est exemplar, neque secundum quod est ratio.* (Summa th. 1. p. q. 15. a. 3. ad 1.) Ex quo patet, rationem nominis minime intellectam fuisse a Rosminio, quum (Teodicea, n. 644.) efulsit, dari in Deo ideam archetypam etiam iniorum (1).

475. Coroll. IV. — Multitudo cognitorum a Deo est infinita. — Ita S. Thomas, ac manifeste sequitur ex praecedentibus. * Dicendum, ait, quod quum Deus sciat non solum ea quae sunt actu, sed etiam ea quae sunt in potentia vel sua vel creaturae, ut ostensum est; haec autem consistet esse infinita: necesse est dicere, quod Deus sciat infinita. (Summa th. 1. p. q. 14. a. 12.) Scite autem ibidem observat sanctus Doctor, hoc non perinde intelligi debere, quasi Deus hanc multitudinem numeraret, cognoscendo scilicet partem post partem; in infinito enim quotcumque partes accipiantur, semper remanet aliquid extra accipientem. Cognoscit itaque Deus infinita absque ulla successione sed simul, propterea quod nimirum essentia divina, per quam intellectus divinus intelligit, est similitudo

(1) * Questa faccenda del tipo dell'empio è un'altra stranezza del Rosmini. Egli dice: Anche l'empio trova il suo tipo eterno nell'ideale della divina intelligenza (l. c.). In nota poi aggiunge: *Si tenga presente che l'idea del male non è cosa mala, nè il tipo dell'empio è macchiato di alcuna empietà.* Ma i tipi nell'ideale divino s'identificano coll'essenza divina, e sono l'essenza stessa divina in quanto imitabile in tale o coll'al grado. Come dunque volete che nell'ideale divino ci abbia il tipo dell'empio? Ogni tipo dell'ideale divino esprime un bene, e l'iddio vede il male in quanto deficienza dal tipo. S. Tommaso nelle *Questioni disputate* cerca espressamente se il male abbia l'idea in Dio, ossia l'esemplare, il tipo, e lo nega; perocchè il male non è partecipazione, ma privazione di forma. Nondimeno l'iddio conosce il male, in virtù del suo opposto, cioè del bene, di cui il male è privazione. *Ex hoc ipso quod malum non habet ideam in Deo, a Deo cognoscitur per ideam boni oppositi.* Qq. Disp. Ver. q. 3. a. 4. ad 7. M. LIBERATORE (Degli Universali. Opuscolo 6. pag. 36. nota).

sufficiens omnium quae sunt vel esse possunt. Hic vero dubium controversumque manet apud Doctores, utrum haec cognita, secundum quod sunt cognita, h. e. actu terminant divinae mentis intuitum, dici debeant *categorematicae*, vel *syncategorematicae* dumtaxat infinita. De hac re ita Suarez. * Quæret aliquis, an haec infinita dicenda sint *categorematicae*, vel *syncategorematicae* infinita, seu actu vel potentia. Videtur enim primum, quia illa omnia simul videntur; ergo, ut sic, actu sunt simul; ergo actu infinita. . . Et confirmatur. Nam si omnia illa quae simul cognoscuntur, simul essent in re, esset multitudo categorematicae infinita; sed eadem sunt nunc in cognitione. In contrarium vero est, quia licet omnia simul sint cognita, tamen non aliter sunt infinita, quam in re esse possint, quia cognitio accommodatur rebus ipsis; sed in re non possunt esse, nisi syncategorematicae infinita, quia non potest tota illa multitudo in re existere simul. Unde nihil referre videtur, quod in cognitione sint simul, si in re tantum fieri possunt successive, quia modus cognoscendi non variat modum quantitatis ipsius rei, nec res habet magnitudinem aut multitudinem suam (atque adeo ut sit finita aut infinita hoc vel illo modo), ex ordine ad cognitionem, quae illi extrinseca est, sed in ordine ad existentiam quam iuxta naturam suam habere potest. . . . Divus Thomas in hoc nihil aperte dicit; tamen eius discipuli videntur frequentius loqui priori modo. Sed in re non videtur posse esse magna diversitas. Nam omnes conveniunt in his. Primo, illa quae videntur, non esse in certo aliquo numero finito, nec posse perveniri ad finem eorum, numerando unum post aliud. Secundo, illa omnia simul cognosci, et ita esse simul aliquo modo, scilicet obiective. Tertio, totam illam collectionem non posse actu poni in re. *Quibus possitis, fore de modo loquendi videtur esse controversia.* Mihi tamen placet posterior modus loquendi. Quia illa multitudo, quamvis simul cognita, talem habitudinem habet ad suam existentiam, ut ex intrinseca natura petat, non posse exhaustri quum fit; unde in sua intrinseca ratione includit hanc veluti potentialitatem, ut semper scilicet aliquid illius restet efficiendum. Et in hac potentialitate consistit ratio

infiniti syncategorematicae: sicut, quamvis tempus totum simul cognoscatur, ipsum tamen, etiam cognitum, ens successivum est, quia talem habitudinem habet ad existentiam, ut non possit totum simul existere, sed pars post partem: similis enim ratio est de hoc infinito in potentia; includit enim in conceptu suo successionem quamdam in existentia seu productione sua. . (In 3. p. D. 26. sect. 4. n. 11... 15.)

SECTIO II.

De praescientia divina futurorum contingentium.

476. *Quaestio tractanda eiusque difficultas.* — Controversiam aggredimur inter graviores sane gravissimam de habitu divinae sapientiae ad ea quae contingenter in tempore futura sunt, cuiusmodi praecipuis censentur quae libera optione creatae voluntatis eveniunt. Multorum sapientium iudicio ipse Aristoteles in re praesenti caecutivit (1. *Periherm.* c. 9.). Id certe affirmandum est de M. Tullio (*De Divin.* lib. 2. c. 7.), Marcione (apud Tertullianum lib. 2. c. 5.), I. Wicleffo (apud Th. Waldensem to. 1. lib. 1. a. 1. c. 22, 25.), aliosque. Hi omnes scilicet permoti fuere communi illa difficultate quae in hoc negotio prima fronte se offert, ducta scilicet ex *necessitate* quam infallibilis praescientia praesert, quaeque minus cohaerere videtur cum *contingentia* effectuum fortuitorum aut liberorum. Hinc alii cuncta necessario fieri dixerunt, adeoque de medio abstulerunt quaecumque liberam electionem; alii ut hanc libertatem tuerentur, quae nos agimus, antequam fiant, a Deo vel ignorari vel certa saltem scientia minime cognosci, impie dixerunt. Ad hanc posteriorem classem se recepit Romanus Orator, qui sophisma Aristotelicum (*Periherm.*

l. c.) refricans, sic alloquitur. * Nihil enim est tam contrarium rationi et constantiae, quam fortuna: ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, ut sciat quid casu et fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eveniet. Sin certe eveniet, nulla fortuna est. Est autem fortuna. Rerum igitur fortuitarum nulla est praesensio. . (*Divin.* l. c.) Ut igitur diligenter haec tractatio absolvatur, nonnulla more consueti praemittenda ducimus.

477. *Futura contingentia quae proprie dicantur.* — Ad declarationem terminorum quod attinet, haec observa.

I. *Praesens, praeteritum, et futurum* sunt differentiae temporis [193]. Est porro diligenter in memoriam revocandum quod in ipso Logicae limine [214, ¶] ex D. Thoma docuimus, duplicem scilicet futuri denominationem distinguere oportere. Dicitur scilicet aliquid futurum vel quia reipsa erit, vel quia in suis causis invenitur ordo seu dispositio ad ipsius productionem. Primo modo dicitur futurum *in se*, alio modo futurum *in causa* et quandoque etiam simpliciter *futurum* (1).

II. Quum contingens illud dicatur quod ita est ut possit non esse, hinc futurum contingens, vel contingenter futurum, illud dicitur quod est illud futurum sed ita ut possit non esse futurum. Quocirca duo affirmantur hae loquendi formulae, *futurum* scilicet et *possibilitas non futuritionis*: quae, ut patet, minime se excludunt, sed amice cohaerere possunt, modo vitetur fallacia sensus compositi et divisi.

(1) * Distinctio ista futuri secundum rem asseritur expresse tum a Philosopho, tum a D. Thoma. Et quidam Philosophus (2. *de Gener.* c. 64.) ait, quod *futurum* quis *incedere* non *incedit*. Ex quo inferi Capreolus (1. *Dist.* 35. q. 1. a. 2. conel. 8.), hanc consequentiam non semper tenere: *Hoc est futurum. Ergo hoc erit*. Rationem offert ex isto dicto Philosophi, quod sic interpretatur: *Aliquid esse futurum non est aliud quam causam aliquam esse inclinatum ad productionem illius. Ponitur ergo quod impletur, ne effectum producat. Sequitur quod illud est futurum, et tamen nunquam erit*. Hoc totum desumit ibi Capreolus ex D. Thoma *De Verit.* q. 12. a. 10. ad 7.

III. Futura contingentia alia sic dicuntur simpliciter et absolute, alia vero secundum quid, h. e. sub conditione vel conditionate. Illa sunt de quibus categorice et cum veritate enunciari potest quod esse habebunt in secutura temporis differentia. Hinc sine ullo addito adeoque simpliciter futura nuncupantur. Contingentia vero sub conditione futura ea vocantur, de quibus non affirmatur futuritio eaque contingens nisi sub hac aut illa conditione: puta si dixeris, *Petrus, si in his circumstantiis existeret, peccaret*. Hic vero observa, contingentiam quae inesse debet eiusmodi conditionate futuris, intelligendam esse in sensu composito cum hypothesei seu conditione sub qua futura esse dicuntur, ut patet in exemplo allato. Nimirum, stante praedicta conditione, debet adhuc remanere possibile, ut non eveniat quod sub ea conditione reipsa est futurum. Secus nullum eiusmodi futurum eluceret, puta si dixeris: *Si ignis strupae appropinquetur, haec citra miraculum comburetur*.

478. **Corollaria ducta ex declaratione praecedente.**
Ex dictis tria facile inferuntur.

I. Cum contingentia effectuum ultimo refundi debeat in activam indifferentiam causae, quae sufficiens quidem sit ad effectum ponendum, minime tamen suaapte natura sit ad unum determinata; talis vero causa libera sit oportet: necessario inde fit consequens, ut futura quaecumque contingentia ex alicuius causae libero exercitio proficiantur. Porro si absolute res consideretur, et in ordine ad causam primam quae est Deus, omnia ei libera dici

ubi: *Aliquid, inquit, potest dici futurum, non solum ex hoc, quod ita erit, sed quia ita ordinatum est in causis suis, ut sit futurum*: tum q. 2. a. 12. ad 9., ubi ait, non esse inconveniens, quod Deus sciat aliquid esse futurum, quod nunquam erit, in quantum scit aliquis causis esse inclinatus ad ponendum effectum, qui nunquam erit. Ex quibus constat, iuxta Philosophum et D. Thomam posse affirmari futurum in causa, negato futuro in se. Aliud ergo per ipse est futurum in causa, aliud futurum in se: aliter idem secundum idem affirmaretur et negaretur. I. B. DE BENEDECTIS (*Philosophia Peripatetica*, to. 1. lib. 3. q. 4. c. 2.).

debent. Ex eius quippe liberrimo consilio procedit ut cetera sint et in hoc ordine potius quam in alio. Supposita tamen creatione ac praesenti ordine divinae providentiae, ex his futuris contingentibus quaedam sunt immediate libera ipsi Deo, quaedam vero immediate libera creatae voluntati. Illa sunt quae rationem sui *determinantem* non habent nisi in divina voluntate, ut sunt divinae leges, vel quae ipse Deus per se solum operatur: haec vero quae proficiuntur ex libera optione creatae voluntatis, ut actus omnes liberi creaturarum, mali praesertim. Patet autem, potissimam difficultatem quaestionis quam agimus, versari circa scientiam divinam prout respicit futura contingentia quae libera creaturarum actione fiunt, aut sub data aliqua conditione fierent.

II. In enunciabilibus actu liberorum creaturae hypothetice futurorum tria sunt diligenter distinguenda. Primo quidem id quod se habet per modum conditionis: dein ipse eventus qui sub conditione enuntiatur, actus scilicet liber creaturae eiusve omissio: denique connexio inter utrumque, quae particula *si* exhibetur. Iam age, ex parte conditionis importari debent quaecumque necessaria sunt ut creata voluntas intelligatur constituta *in actu primo proprio* exercitii suae libertatis. Connexio proinde quae in eiusmodi enunciabilibus exhibetur conditionem inter et eventum, minime consistere potest in illatione quadam necessaria, quae scilicet talis sit ut sola conditione intellecta sufficiens medium habeatur ad veritatem eventus infallibiliter cognoscendam. Intelligenda proinde est per modum cuiusdam *coexistentiae* conditionati cum positione conditionis. Vide quae in Logica de hac re diximus [127, 140, nota] (1).

(1) Tametsi in eiusmodi enunciabilibus non existit connexio necessaria eventus cum conditione, adest tamen connexio quaedam contingens pro eo quantum conditio aliquo causalitatis aut occasionis genere *conducit* ad effectum ponendum. Quare haec enunciabilia minime assimilari possunt propositionibus quibusdam futilibus, in qui-

III. Quum nihil existat vel existere possit, nisi sub immediato influxu divinae virtutis, in praedictis enuntiabilibus actuum liberorum minime sane exhibetur unquam creata voluntas se determinatura, citra influxum divinae cooperationis. Quare, quum hypotheticae efferuntur, minime affirmatur creata voluntas hoc aut illud electura nisi sub conditione, quod Deus ei dederit omnia requisita ut libere se ipsa determinare queat, inter quae requisita praecipuum locum obtinet exhibitio divini concursus, et, respectu actuum salutarium, sufficiens gratiae auxilium. Nihil proinde in his enuntiabilibus continetur a Deo independens, nec potest hoc urgeri in contrarium, nisi per manifestam et puerilem *ignorationem clenchi*.

479. **Qualis cognitio futurorum Deo attribuatur.** —

His praenotionibus in antecessum constitutis, quoddam quasi principium alte in mente defigere oportet, ex quo mirum quantum huius controversiae resolutio illustratur. Ducitur scilicet ex *aeternitate* divinae sapientiae [469]. Audiatur Angelicus. * Tunc... aliquid cognoscitur ut futurum est, quando inter cognitionem cognoscentis et rei eventum invenitur ordo praeteriti ad futurum. Hic autem ordo non potest inveniri inter cognitionem divinam, et quamcumque rem contingentem; sed semper ordo divinae cognitionis ad rem quamcumque est sicut ordo praesentis ad praesens. Quod quidem hoc modo intelligi potest. Si aliquis videret multos transeuntes per unam viam successive et hoc per aliquod tempus; in singulis partibus temporis videret praesentialiter aliquos transeuntes, ita quod in toto tempore suae visionis omnes transeuntes praesentialiter videret; nec tamen simul omnes praesentialiter, quia tempus suae visionis non est totum simul. Si autem sua visio tota simul posset existere, simul praesentialiter omnes videret, quamvis non omnes simul praesentialiter transirent. Unde cum

bus nullius plane connexionis habitudo continetur conditionem inter et conditionatum, v. g. *Si Papa orat, Turca dormit*: in his enim conditio est tantum in voce, non verò in sensu.

visio divinae scientiae aeternitate mensuretur, quae est tota simul et tamen totum tempus includit, nec alicui parti temporis deest; sequitur, ut quiddam in tempore geritur, non ut futurum, sed ut praesens videat. Hoc enim quod a Deo visum est, futurum est rei alteri cui succedit in tempore: sed ipsi divinae visioni, quae non est in tempore sed extra tempus, non est futurum sed praesens. Ita ergo nos videmus futurum ut futurum, quia visioni nostrae futurum est, cum ipso tempore mensuretur; sed divinae visioni, quae est extra tempus, futurum non est: sicut et aliter videt transeuntes ille qui est in ordine transeuntium, qui non videt nisi illos qui ante ipsum sunt; et aliter ille qui extra ordinem transeuntium esset, qui omnes transeuntes simul inspiceret.... Difficultas autem in hoc accidit, eo quod divinam cognitionem significare non possumus nisi per modum nostrae cognitionis consignificando differentias: si enim significaretur ut est Dei scientia, magis deberet dici quod Deus scit hoc esse, quam quod sciat futurum; quia sibi nunquam sunt futura sed semper praesentia. Unde etiam, ut Boëthius dicit in 5. de Consolatione, eius cognitio de futuris magis proprie dicitur *praesidentia*, quam *praevidentia*, quia ea porro, quasi longe positus in aeternitatis speculo intuetur: quamvis etiam praevidentia dici possit propter ordinem eius, quod ab eo scitur, ad alia quibus futurum est. » (Qq. Disp. Ver. q. 2. a. 12.)

THESIS XIV.

Contingentia quaecumque, etiam quae libera creaturarum actione, sive absolute, sive conditionate dumtaxat in tempore sunt futura, Deus certa et infallibili scientia ab aeterno praevidit: nec propterea ulla ratione derogatur quidpiam de libera electione creatae voluntatis.

480. *Demonstratio I partis.* — Quod spectat ea quaecumque absolute sunt futura, res manifesta est ex praestitutis principiis. Etenim ex una parte evidens est, ea minime a Deo ignorari dum fiunt: quandoquidem nequeunt existere nisi sub influxu divinae virtutis; Deus autem sciens et volens operatur. Aliunde autem evidens etiam est, Dei scientiam, ut esse, aeternitate mensurari, adeoque nihil de novo ab eo sciri posse, quasi ante illud ignoraverit. Ergo Deus quaecumque in tempore absolute sunt futura, ab aeterno praevidit, scientia quidem certa et infallibili, utpote perfectissima. Quare tota difficultas redit ad scientiam liberorum conditionalium. Atqui id etiam omnino affirmare oportet. Quod sic patet.

I. Etenim primo, quemadmodum hae binae propositiones, — *Petrus, in tali differentia temporis et in talibus adiunctis constitutus, peccabit; Petrus, in eadem differentia temporis, iisdemque adiunctis constitutus, non peccabit:* — quemadmodum, inquam, sunt vere contradictoriae, si subiectum absolute enuntietur; sic etiam sunt vere contradictoriae, tametsi subiectum per modum conditionis apprehendatur sic expressae; *Petrus, si in tali differentia temporis, et in talibus adiunctis constitueretur.* . . . Ratio perspicua est. In utroque enim casu locum habet ratio oppositionis contradictoriae, quae est oppositio simplicis affirmationis et negationis unius eiusdemque de uno eodemque in eodem

sensu, iisdemque omnino circumstantiis [*Pr. Ph.* 135, seqq.].

II. Ex Logica iterum manifestum est, semper ac habetur contradictio veri nominis, oportere omnino ut altera eius pars sit disiunctive vera, altera disiunctive falsa. Secus enim minime amplius subsisteret principium exclusi medii. *Quodlibet aut est non est; adeoque ipsum principium contradictionis rueret, ex quo principium exclusi medii proxime fluit.* Confer quae de hac re ex professo disseverimus in Logica [213, seqq.]. Hinc manifestissime patet, propositiones conditionales paulo ante recitatas, *Petrus, si in tali differentia temporis et talibus adiunctis constitueretur, peccaret; Petrus, si in eadem differentia temporis iisdemque adiunctis constitueretur, non peccaret:* eiusmodi profecto esse, ut altera sit disiunctive vera, altera disiunctive falsa.

III. His suppositis, et prae oculis habendo propriam rationem aeternitatis divinae sapientiae, manifeste colligitur veritas conclusionis quam intendimus. Scientiae enim divinae intuitus, ratione suae aeternitatis, omnium temporum seriem, etiam possibilem, suo ambitu comprehendit. Quemadmodum igitur quae in aliqua temporis differentia de facto eveniunt, aeterno divinae sapientiae conspectui subduntur, prout sunt in sua praesentialitate et in suo esse determinato: sic ea etiam, quae tametsi de facto non eveniunt, evenirent tamen, si haec vel illa possibilem temporum adiuncta verificarentur, ea omnia, inquam, eiusdem divinae sapientiae aeterno conspectui subduntur, prout praesentialiter forent in seipsis et in suo esse determinato. Atque huic veritati suffragatur omnino communis hominum sensus. Omnes enim precamur Deum, ut hanc vel illam actionem nobis noxiam, quam forte a nobis exorituram praevideat, ne permittat. Quare ab ipsa Ecclesia sic instrumur. * Interdum fit, ait Catechismus Romanus, ut quae petimus a Deo, non impetremus. . . . quod nec necessarium nobis est, nec utile quod petimus, immo vero fortasse supervacaneum id futurum sit, si dederit atque pestiferum. . . . Ingenii bona et ornamenta. . . . petere etiam licet, sed ea conditione, si nobis ad Dei gloriam et ad sa-

litem profutura sunt. (Part. 4. c. 2. q. 4.; c. 4. q. 5.) (1)

481. *Demonstratio II. partis.* — Probandum est modo seu potius exponendum, nihil deperire de libero exercitio creatae voluntatis ex asserta certitudine divinae praesentiae. Id porro duplici potissimum argumento manifestatur, altero *communi* et *indirecto* ex perfectione divinae sapientiae generatim considerata, altero maxime *proprio* et *directo*, inspecta scilicet aeternitate divini intuitus.

I. Primo igitur, si perfectionem divinae sapientiae generatim inspicimus, in primo adspectu omnibus patet, eam esse verissimam. Cognitio autem vera, eo quod eiusmodi sit, apte congruere debet cum suo obiecto. Istius proinde natura ac propria ratio per illam minime immutatur et corrumpitur, sed detegitur. Est autem de ratione actuum liberorum, ut ex voluntatis electione seu libera determinatione procedant. Haec igitur ex divina praesentia nullum detrimentum patitur, sed tantum cuiusmodi sit, oculo divinae intelligentiae verissime manifestatur.

II. Id ipsum secundo ex declarata aeternitate divinae sapientiae optime et a priori confirmatur. Sic enim se habet divina sapientia in contemplatione eorum quae quovis tempore contingunt, quemadmodum visus noster respectu eorum quae praesentialiter contuemur. Atqui manifestum est, nihil omnino derogari de contingentia et libertate eorum quae praesentialiter contuemur, propterea quia eiusmodi visio sit per se ac necessario vera seu infallibilis. Ergo id ipsum potiori ratione asserendum est de divinae sapientiae intuitu. * Sicut... noster visus, ait S. Thomas, non fallitur

(1) Hanc scientiam aperte comprehendit doctrina S. Thomae sic aientis. * Deus scit omnia quaecumque sunt quocumque modo. Nihil autem prohibet, ea quae non sunt simpliciter, aliquo modo esse. Simpliciter autem sunt quae acta sunt; ea vero quae non sunt acta, sunt in potentia vel ipsius Dei vel creaturae; sive in potentia activa sive in passiva; sive in potentia optinandi, vel imaginandi, vel quocumque modo significandi. Quaecumque igitur possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, et etiam quaecumque ipse facere potest, omnia cognoscit Deus, etiamsi actu non sint. (Summa th. 1. p. q. 14. a. 9.)

unquam videns contingentia ut sunt praesentia, et tamen ex hoc non removetur quin illa contingenter eveniant: ita Deus infallibiliter videt omnia contingentia, sive quae nobis sunt praesentia, sive quae praeterita, sive quae futura, quia sibi non sunt futura, sed ea inspiciet esse tunc quando sunt: unde ex hoc non removetur quin contingenter eveniant. (Qq. Disp. Ver. q. 2. a. 12.) Gemina habet Augustinus sic inquires, *Sicut memoria tua non cogit facta esse quae praeterierunt, sic Deus praesentia sua non cogit facienda quae futura sunt.* (3. De lib. arb. c. 4.) Et alibi. *Tam non possunt futura non fieri, quam non fuisse facta praeterita. Quoniam non est in Dei voluntate, ut eo sit aliquid falsum quo verum est.* (26. Cont. Faustum, c. 4.) (1)

(1) Allatam explicationem huius veritatis, ductam scilicet ex propria ratione aeternitatis divinae scientiae, Doctor Angelicus constantissime adducit semper ac de praesenti quaestione sermonem habet. Ita ex. gr. in *Summa th.* 1. p. q. 14. a. 3. q. 57. a. 3.; 1. *Cont. Gent.* c. 67.; 1. *Dist.* 38. q. un. a. 5.; *Compend. theol.* c. 133.; 1. *Periherm.* lect. 14. Praestat hic exscribere quae in hoc ultimo testimonio habentur; sunt quippe in rem praesentem aptissima. * Considerandum est, ait, quod ad cognoscendum ea quae secundum ordinem temporis eveniant, aliter se habet vis cognoscitiva quae sub ordine temporis aliquo continetur, aliter illa quae totaliter est extra ordinem temporis. Cuius exemplum conveniens accipi potest ex ordine loci: nam secundum Philosophum in 4. *Physic.*, secundum prius et posterius in magnitudine est prius et posterius in motu, et per consequens in tempore. Si ergo sint multi homines per viam aliquam transeuntis, quilibet eorum qui sub ordine transeuntium continetur, habet cognitionem de praecedentibus et subsequentibus, in quantum sunt praecedentes et subsequentes, quod pertinet ad ordinem loci. Et ideo quilibet eorum videt eos qui iuxta se sunt, et aliquos eorum qui eos praecedunt; eos autem qui post se sunt, videre non potest. Si autem esset extra totum ordinem transeuntium, utpote in aliqua excelsa turri constitutus, unde possit totam viam videre, videret quidem simul omnes in via existentes, non sub ratione praecedentis et subsequentis, in comparatione scilicet ad eius intuitum; sed simul omnes videret, et quomodolibet unum eorum alium praecedat. Quia igitur cognitio nostra cadit sub ordine temporis, vel per se, vel per accidens; unde et anima in componendo et dividendo necesse habet adtingere tempus, ut dicitur in 2. *de Anima*: con-

482. *Coroll. I. — Qualis necessitas intervenit in re praesenti.* — Ex tradita explicatione patet ante omnia, quo pacto necessitas quam ex infallibilitate divinae praesentiae induunt effectus contingenter futuri, apte cohaereat cum hac ipsa contingentia, etiamsi prima facie videntur mutuo se excludere. Eiusmodi quippe necessitas subaudit ipsam exercitium libertatis, atque adeo illud minime perimit. Tripliciter ea nominatur a Doctoribus. Quandoque enim vocatur necessitas *consequentiae* vel *conditionalis*; quandoque necessitas *compositionis* sive *sensus compositi*; quandoque demum necessitas *consequens*. Dicitur itaque imprimis necessitas *consequentiae* seu *conditionalis*:

sequens est, quod sub eius cognitione cadant res sub ratione praesentis, praeteriti, et futuri. Et ideo praesentia cognoscit tamquam actu existentia et sensu aequaliter perceptibilia; praeterita autem cognoscit ut memorata; futura autem non cognoscit in seipsis, quia nondum sunt, sed cognoscere ea potest in causis suis: per certitudinem quidem, si totaliter in causis suis sint determinata, ut ex quibus de necessitate eveniunt; per coniecturam autem, si non sint sic determinata quin impediri non possint, sicut quae sunt ut in pluribus; nullo autem modo, si in suis causis sunt omnino in potentia, non magis determinata ad unum quam ad aliud, sicut quae sunt ad utrumlibet. Non enim est aliquid cognoscibile secundum quod est in potentia, sed solum secundum quod est in actu; ut patet per Philosophum 9. *Metaph.* Sed Deus est omnino extra ordinem temporis, quasi in aere aeternitatis constitutus, quae est toto simul; cui subiacet totus temporis decursus secundum unum et simplicem eius intuitum; et ideo uno intuitu videt omnia quae aguntur, unumquodque secundum quod est in seipso existens, non quasi sibi futurum quantum ad eius intuitum prout est in solo ordine suarum causarum, quamvis et ipsum ordinem causarum videat; sed omnino aeternaliter sic videt unumquodque eorum quae sunt in quocumque tempore, sicut oculus humanus videt Socratem sedere in seipso, non in causa sua. Ex hoc autem quod homo videt Socratem sedere, non tollitur contingentia, quae respicit ordinem causae ad effectum: tamen verissime et infallibiliter videt oculus hominis Socratem sedere dum sedet, quia unumquodque prout est in seipso iam determinatum est. Sic igitur relinquatur, quod Deus certissime et infallibiliter cognoscit omnia quae fiunt in tempore; et tamen ea quae in tempore eveniunt, non sunt vel fiunt ex necessitate, sed contingenter. Huc usque Angelicus.

est enim necessaria consequentia quam enuntiat haec propositio conditionalis: *Si Deus praescivit hoc esse futurum, res ita habebit.* Hoc autem perinde est ac edicere, praesentiam Dei falli neutiquam posse. Dicitur secundo necessitas *compositionis* vel *sensus compositi* idcirco quod fieri minime potest, ut sint simul verae hae binae propositiones; *Deus praescivit hoc futurum, et Hoc minime sic erit ut Deus praescivit.* Hae itaque loquendi formula illud ipsum continetur quod in praecedente. Appellatur denique haec necessitas *consequens*, quia ea consequitur ipsam rei futuritionem, ac propterea exercitium liberae electionis non praevenit sed subaudit (1).

Obiicies. S. Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 14. a. 13. ad 2.) habet ut *absolute* necessariam propositionem hanc, *Deus scivit hoc contingens* (puta, quod ego nunc scribam), *esse futurum.* Ergo necessitas orta ex divina praesentia non est conditionalis et consequens, sed absoluta et antecedens.

Respondeo. *Conc. antec., neg. consequ.* Propositio recitata potest dici necessaria *absolute* dupliciter. Uno modo, quatenus excludit omnem suppositionem *extraneam ipsi*

(1) * Quum dico, quia si praescit Deus aliquid, necesse est illud esse futurum, idem est ac si dicam: Si erit, ex necessitate erit. Sed haec necessitas non cogit, nec prohibet aliquid esse aut non esse. Ideo enim quia ponitur res esse, dicitur ex necessitate esse; aut quia ponitur non esse, affirmatur non esse ex necessitate: non quia necessitas cogat, aut prohibeat rem esse aut non esse. Nam quum dico: Si erit, ex necessitate erit; hic sequitur necessitas positionem non praecedit. Idem valet, si sic pronuntietur. Quod erit, ex necessitate erit: non enim aliud significat haec necessitas, nisi quia quod erit non poterit simul non esse.... Quapropter quum dicimus, quia quod Deus praescit esse futurum, necesse est esse futurum; non asserimus semper rem esse necessitate futuram; sed rem futuram necessitate esse futuram: non enim potest futurum simul non esse futurum. Idem sensus est, si sic dicitur: Si Deus praescit aliquid, non addendo futurum: quoniam in praescire intelligitur futurum. Nam non est aliud praescire, quam scire futurum: et ideo si praescit Deus aliquid, necesse est illud esse futurum. ANSELMUS CANTUARIENSIS (*De concordia Praesentiae et Praedestinationis*.... q. 1. c. 1, 2).

existentiae seu futuritioni rei qua de agitur: et hoc sensu citra dubitationem omnem dicenda est absolute necessaria. Tam enim necessarium est ea quae sunt futura, a Deo praesciri, quam necessarium est futurum esse futurum, ut paulo ante declaravimus. Atque ita hanc necessitatem declarat Angelicus I. c. En eius verba. * Si dicam: *Si Deus sciebat aliquid, illud erit*; consequens intelligendum est prout subest divinae scientiae, scilicet prout est in sua praesentialitate. *Et sic necessarium est, sicut et antecedens*: quia OMNE QUOD EST, DUM EST, NECESSE EST ESSE, ut dicitur in *I. Periherm.* . Brevi: hoc modo non aliud asseritur nisi absoluta necessitas, ut nihil plane lateat intuitum divinae sapientiae. Alio modo, allata propositio dici potest *absolute necessaria necessitate antecedente*, quae scilicet existat in signo priori ad ipsam rei futuritionem. Id autem est prorsus omnino falsum, et a mente Angelici plane alienum, ut patet ex dictis. Audiatur rursus ipse S. Doctor. * Actus divinae cognitionis transit supra contingens, etiamsi futurum sit nunc, sicut transit visus noster supra ipsum dum est: et quia esse quod est, quando est, necesse est, quod tamen absolute non est necessarium; ideo dicitur, quod in se consideratum est contingens, sed relate ad Dei cognitionem est necessarium, quia ad ipsam non refertur nisi secundum quod est in esse actuali. Et ideo simile est, sicut si ego videam Socratem praesentialiter currere; quod quidem in se est contingens, sed relate ad visum meum est necessarium. *Unde bona est distinctio, quod est necessarium necessitate consequentiae et non consequentis, vel necessitate conditionata, non absolute.* . (1. *Dist.* 38. q. un. a. 5. ad 3.)

483. *Coroll. II.* — **An res futurae Deo ab aeterno coëxisterint.** — Intelligitur praeterea ex dictis, quo sensu res futurae dicantur praesentialiter existentes cum divina aeternitate. Nempe potest esse sermo vel de praesentia *obiectiva seu intentionali*, quo modo dicitur obiectum esse in conspectu illius qui rem contempletur; vel de praesentia *reali et physica*, quae severe loquendo vocatur *coëxistentia*. Iam age, prior praesentialitas est procul dubio aeterna,

atque ita quae in tempore contingunt, dicuntur aeternaliter vera, veritate scilicet divinae cognitionis, ut exponit beatus Thomas (*Summa th.* I. p. q. 16. a. 7.). Alia vero praesentialitas seu coëxistentia, proprie et in rigore loquendo, minime dici potest aeterna. Ratio liquet. Quamquam enim Deus, ratione suae aeternitatis sit quodcumque res sunt, non tamen vicissim res sunt quodcumque Deus est. Hoc porro requiritur, ut res dicantur ab aeterno Deo coëxistere. Ceterum diligenter considerare oportet, nullam omnino mutationem in Deo contingere, quum res Deo coëxistere incipiunt, propter immutabilitatem scilicet divinae aeternitatis. Inde vero optima ratio petitur cum Doctore Angelico ll. cc. ad explicandum, quare Deus ab aeterno videat quaecumque futura sunt, eadem videlicet immediate et perspicuitate qua ea videt quando eveniunt. Hinc verae sunt haec binae propositiones causales. Prima: *Quia res haec nunc est in sua praesentialitate* (h. e. reali), *ideo Deus ulpote aeternus eam certissime praescivit*. Altera: *Quia Deus ab aeterno rem hanc praescivit, ideo ipsa est aeternaliter praesens* (obiective) *divino conspectui*. Hoc vero perinde est ac affirmare praesentiam divinam futurorum ob divini intuitus aeternitatem realem, et aeternitatem obiectivae praesentiae rerum futurarum ob divinam praesentiam: quod certe verissimam explicationem rei continet eamque maxime propriam et propter quid (1).

(1) Si haec rite callueris, optimam inde habebis explicationem difficultis ceteroquin testimonii B. Gregorii M. sic aientis. * Praescire dicitur (Deus), qui unamquamque rem, antequam veniat, videt, et id quod futurum est, priusquam praesens illi praevideat. Deus ergo... quomodo est praesens, dum nulla, nisi quae futura sunt praesciantur? Et scimus, quia Deo futurum nihil est, ante cuius oculos praeterita nulla sunt, praesentia non transeunt, futura non veniunt: quippe quia omne quod nobis fuit et erit, in eius conspectu praesto est; et omne quod praesens est, scire potest potius quam praescire... Quia nobis ea quae futura sunt videt, quae tamen ipsi semper praesto sunt, praescius dicitur, quamquam nequaquam futurum praevideat quod praesens videt. *Nam et quaecumque sunt, non in aeternitate*

484. *Coroll. III.* — **Applicatio dictorum ad scientiam conditionalium.** — Quae dicta sunt de necessitate divinam praescientiam consequente actus liberos a Deo praescitos, aequae valent sive absolute sive conditionate tantum sint futuri. Ea scilicet, etsi sermo sit de actibus tantum conditionate futuris, est necessitas consequentiae tantum et compositionis, quae non antecedit sed subsequitur exercitium humanae libertatis conditionate praevium. Actus enim liberi humanae voluntatis, tametsi conditionatae huic praescientiae infallibiliter subdantur, non propterea a propria natura desciscunt, *actuum* videlicet *liberorum*. Atqui sola necessitas consequentiae et compositionis quae non antecedit exercitium humanae libertatis sed subsequatur, cum natura actus liberi amice cohaeret, ut ex praemissis patet.

485. *Coroll. IV.* — **Solius Divinitatis proprium est infallibiliter praescire contingentia futura.** — Postremo ex dictis intelligitur propria ratio veritatis, quam ceteroquin communis omnium gentium persuasio semper retinuit, praescientiam scilicet infallibilem contingentium futurorum esse propriam Divinitatis characteristicam, quae nulli propterea creaturae naturaliter convenire potest. Ut enim patet ex dictis, certa cognitio futuri contingentis non potest haberi naturaliter nisi ab intellectu qui illud praesentialiter intueri queat secundum quod est in seipso priusquam existat. Talis autem cognoscendi modus sub-

eius ideo videntur quia sunt, sed ideo sunt quia videntur.... In illo enim nec praeterita nec futura reperiri queunt, sed cuncta mutabilia immutabiliter durant, et quae in seipsis simul existere non possunt, illi simul omnia assistunt, nihilque in illo praeterit quod transit; *quia in aeternitate eius, modo quodam incommensurabili, cuncta tempora saeculorum transcurant manent, currentia stant.* (20. *Moral.* c. 23. al. 22.) Patet ex toto contextu, quo sensu intelligere oportet enuntiationem illam. *Quaecumque sunt.... ideo sunt quia videntur.* Nempe sermo est de existentia aeternali, quae in rebus praeter Deum existentibus nequit esse nisi obiectiva, ut dictum est, quaeque propterea eis convenit propterea quia a Deo ab aeterno praevidentur.

audit intellectus summe actuum in cognitione veri, cui scilicet sufficit ex parte obiecti veritas, ut eo ipso illud attingere potis sit: quod quidem locum habere non potest nisi in mente quae sit infinitae virtutis in intelligendo, quae scilicet de se sit intellectio totius veri. Hinc praescientia eiusmodi apud Latinos *divinationis* nomen accepit, quemadmodum ait Tertullianus: *Idoneum, opinor, testimonium divinitatis veritas divinationis.* (Apologet. c. 20.) Apposite Suarez. * Si alterum ex his duobus, scilicet cur Deus haec futura cognoscat, vel cur Angelus illa non cognoscat, supra humanam rationem dicendum sit: potius certe de priori, quam de posteriori hoc dici posset. Aut si primum ita esse sufficienter probatur ex ipsa excellentia Dei, etiamsi modus cognoscendi ratione comparari aut explicari non possit; profecto etiam ex eo quod Angelus infinitam illam Dei eminentiam non habet, satis concluditur, non habere hanc scientiam naturalem. (De Angelis, lib. 2. c. 10. n. 10.)

SECTIO III.

Quaestiones ceterae de divina scientia breviter perstringuntur.

486. Si theologos ageremus, latissimus hic se offerret dicendi campus in quaestionibus bene multis nec parum implicatis, quae praesertim agitantur de *medio*, quod aiunt, et *causalitate* divinae sapientiae. Eiusmodi vero tractatio philosophiae limites, tum brevitate harum Institutionum propriam procul dubio transgreditur. Ne tamen benevolam lectorem plane ieiunum haec in re dimittamus, praecipua quae dicti opportuna existimabimus, appositis quaestiunculis contrahemus.

Quaer. I. — An existat aliquod cognitionis medium in divina scientia respectu creaturarum?

Respondeo, tale *medium* posse spectari vel ex parte *rei cognitae* vel ex parte *cognoscentis*. Si hoc altero modo accipiatur, duplex rursus *medium* distinguitur a D. Thoma, videlicet *sub quo*, et *quo*; et utrumque, si de divina sapientia agatur, aliud non est ab ipsa divina essentia. * In visu corporali, ait S. Doctor, est duplex *medium*; scilicet *sub quo* cognoscit, *quod est lumen*: et hoc medio non determinatur visus ad aliquod determinatum obiectum. Est et aliud *medium quo* cognoscit, scilicet *similitudo rei cognitae*: et hoc medio determinatur visus ad speciale obiectum. Essentia autem divina in cognitione divina qua cognoscit res, tenet locum utriusque. (Qq. Disp. Ver. q. 2. a. 5. ad 10.) *Medium* vero seu ratio cognoscendi, si spectetur ex parte *rei cognitae*, dicitur omne id *quod ut cognitum ducit in cognitionem alterius*. Id porro dupliciter rursus contingere potest. Uno modo per viam discursus, quatenus cognitio medii antecedit et causet cognitionem alterius. Atqui manifestum est id nulla ratione in Deo locum habere posse, ut ante [469] diximus, et ex professo tradit B. Thomas (*Summa* th. 1. p. q. 14. a. 7. coll. q. 58. a. 3.). Alio modo per simplicem intuitum, quatenus uno eodemque actu intelligitur aliquid simul cointelligendo alterum *ob connexionem obiectivam quam habet cum priori*. Tale porro *medium* datur in divina scientia, neque unicum est, sed multiplex et varium, pro multiplicitate scilicet et varietate rerum earumque principiorum quae a Deo intelliguntur. Quare S. Thomas. *Dicendum quod illud quod est principium essendi, est etiam principium cognoscendi ex parte rei cognitae, quia per sua principia res cognoscibilis est.* (Qq. Disp. Ver. a. 3. ad 8.). Ex quo patet, necessaria limitatione seu interpretatione indigere quod nonnulli asseverant dicendo: *Deum non cognoscere alia a se, nisi in sua essentia tanquam in medio cognito*. Nempe hoc intelligere oportet de medio quod primo et per se cognoscatur, ut ante ex mente Angeliei declaratum habes [471]. Secus enim id foret consequens, ut Deus vel non intelligat diversa principia rerum, vel ea intelligendo minime cointelligeret ad quid et quomodo ipsorum causalitas se extenderet: quod nemo dicit.

487. *Quaer. II. — Quo pacto essentia divina est similitudo seu species intelligibilis creaturarum in divina scientia?*

Respondeo, duo posse spectari in creaturis, scilicet essentiam cum suis proprietatibus, et esse. Quoad primum, essentia divina evadit species intelligibilis ratione imitabilitatis suae infinitae, neque est specialis difficultas in hac re. Quoad alterum vero, esse creaturarum dupliciter spectari potest, nimirum vel ut mere possibile, vel ut actu exercitum (absolute vel conditionate) in natura rerum. Si priori modo consideretur, rursus essentia divina ratione infinitae suae imitabilitatis repraesentat illud: quaecumque enim sunt, in eo quod sunt, assimilantur, licet analogice, primo essendi principio quod est ipsum Esse subsistens. Sin autem posteriori modo consideretur, essentia divina eatenus per modum speciei repraesentat illud, quatenus ipsa unum idemque est cum sua operatione, qua tale esse vel se sola vel una cum causa creata producit vel produceret. Deus enim, ut ante demonstratum est [470, II], alia a se cognoscit quatenus est eorumdem causa. Atqui respectu eorum quae sunt, prout sunt, Deus est causa ratione suae operationis vel cooperationis. Patet autem, id veritatem habere respectu eorum quae positiva sunt; negationes quippe et privationes cognoscuntur a Deo per respectum ad id cuius sunt negatio vel privatio [474].

488. *Quaer. III. — Utrum Deus omnia intelligat intelligendo se et in seipso?*

Respondeo ad I. *affirmative* cum S. Thoma (*Summa* th. 1. p. q. 19. a. 2. ad 2.: 1. *Cont. Gent.* c. 49. fin.: Qq. Disp. Pot. q. 7. a. 10. ad 5. Ver. q. 2. a. 3. ad 3.). Ex his locis simul collatis quae idem S. Doctor habet (*Summa* th. 1. p. q. 14. a. 5.), patet quid importetur hac loquendi formula, qua scilicet Deus dicitur omnia intelligere *intelligendo se*. Primo quidem hoc ideo dicitur, quia Deus uno eodemque actu, atque adeo sine ullo discursu cognoscit se et alia. Quare id tantumdem valet quantum affirmare, Deum cognoscere alia a se eodem plane actu quo intelligit seipsum: qui sensus est planus omnino. Significatur prae-

terea hoc loquendi modo, creaturas a Deo non intelligi, nisi ut obiectum secundarium, h. e., ut aliquoter ordinatas ad Deum per modum effectus ad causam [471, I]. Atque hoc etiam res est plana et verissima. Neque exceptio fieri potest quoad actus liberos creaturarum: quandoquidem hos etiam effectus esse oportet divinae virtutis.

Respondeo ad II. *affirmative etiam*. Quum enim dicitur res intelligi in aliquo, particula *in* significat cognoscendi *medium*. Atqui id optime verificatur in divina essentia respectu cognitionis quam Deus habet de rebus. Ac primo quidem id manifestum est, si essentia divina spectetur ut *medium quo*, vel *sub quo*, ut ante diximus [486]. Quod si consideretur ut *medium ex parte rei cognitae*, res etiam liquet ex perfectione qua Deus intelligit seipsum. Virtus enim, *secundum quod est operativa rei cuiuspiam*, merito censetur *medium obiectivum* in quo cognosci potest res cuius est operativa. Atqui nihil praeter Deum est aut esse potest, nisi dependenter ab operatione divinae virtutis. Divinae autem virtutis operatio unum idemque est cum ipsa divina substantia seu essentia. Ergo divina essentia est *medium obiectivum* in quo omnia cognoscere potest, adeoque cognoscit. Confer Auctorem *De Divinis Nomin.* (c. 7. n. 2), Augustinum (15. *Trin.* c. 4, 29.), Anselmum (*Monolog.* c. 10.), Doctorem Anglicum (*Summa th.* 1. p. q. 14. a. 5.).

489. *Quaer. IV.* — An Deus videat actus liberos creaturae, conditionate futuros, in suis decretis ad unam partem contradictionis determinatis antecedenter ad liberam optionem creatae voluntatis?

Ante responsum observa, hanc esse doctrinam a pluribus, praesente Dominico Bannesio, excogitam ut ex una parte non denegarent scientiam quam Deus habet contingentium conditionate futurorum, et ex alia minime cogenerent admittere id quod nomine *scientiae mediae* a theologis Societatis Iesu intelligebatur. Nempe duplex existit decretorum genus, quae Deus *actu habet* respectu effectuum futurorum. Alia sunt plane absoluta tum ex parte divinae volitionis, tum ex parte obiecti voliti; et in eius-

modi decretis statuerunt a Deo cognosci quaecumque in tempore contingunt. Alia autem sunt quidem absoluta ex parte divinae volitionis, conditionalia vero ex parte obiecti, cuiusmodi ex. gr. est decretum quo Deus absolute vult ut si quis in gratia moriatur, gloriam adipiscatur aeternam: Iam age, in hoc altero decretorum genere dicunt a Deo cognosci omnia contingentia conditionate futura, tametsi haec libera creaturae actione contingant. Istiusmodi porro decreta ponuntur determinata ad alteram contradictionis partem antecedenter ad liberum exercitium creatae voluntatis conditionate praevium: quandoquidem, ex horum theologorum sententia, eiusmodi decreta pro obiecto habent *praedeterminationem physicam*, quam Deus decernit pro sua libera voluntate se daturum voluntati creatae si in tali tempore et sub talibus adiunctis existeret. Ex quo illud dicendum foret, Deum in signo priori ad creationis decretum ideo cognovisse Angelos et Adamum peccaturos, si crearentur, quia ab aeterno absolute decrevit se illos,posito quod crearentur, praedeterminatum fuisse ad actum peccati, tametsi (addunt) non ad ipsam formalem malitiae rationem, ut quae in privatione consistat.

His positus, patet responsio ad quaestiuiculam propositam: est nempe *negativa prorsus omnino*. Id enim imprimis excluditur iis omnibus quae in sequente Disputatione afferemus ad ostendendum, praedeterminationes id genus minime cohaerere nec cum libero arbitrio creaturae, nec cum divina sanctitate, nec cum disertissima doctrina Aquinatis. Quod si hae praedeterminationes nullae sunt, conficta etiam erunt decreta quibus praepararentur. Praeterea, quemadmodum ante [482] ex doctrina praesertim B. Anselmi et B. Thomae ostendimus, eatenus divina praescientia amice cohaeret cum contingentia effectuum futurorum, quia necessitas quae ex eius infallibilitate exoritur, minime est *antecedens* sed *consequens* exercitium creatae libertatis. Atqui plane omnino manifestum videtur, id minime dici posse in sententia quam refutamus. Quemadmodum enim ex ea sententia in divino decreto praedeterminante ipsa divina scientia, ita eo innititur etiam eiusdem scientiae infalli-

bilitas. Atqui manifestum est hac ratione obrudi necessitatem non consequentem, sed antecedentem exercitium creatae libertatis. Insuper optimo iure excluditur hic opinandi modus ex manifesta incohaerentia suae doctrinae. Nam propositiones conditionales de quarum veritate aut falsitate hic agitur, sunt plane infinitae, pro infinitate scilicet adiunctorum in quibus creata voluntas constituta concipi potest. Ergo Bannesiana decreta vel sine fine dilatari deberent in hunc finem unice, ut scilicet divina scientia dilataretur, vel haec decreta restringenda forent ad hypotheticæ futura quae cum praesenti rerum ordine connexa sunt. Atqui primum supervacaneum plane, quin et puerile, merito cupiari videri potest; alterum vero arbitrario prorsus modo restringit scientiam divinam conditionalium quam in praecedente sectione demonstravimus. Accedunt denique gravissima Scripturarum et Patrum testimonia quibus hic opinandi modus parum cohaeret, quaeque videri possunt apud Suarez (*De divina Gratia*, to. 1. Prolegom. 3. c. 5.).

490. *Quaer. V.* — Utrum scientia quam asserimus de actibus liberis conditionate futuris, iure an iniuria vocetur *media*?

Ante responsonem nota, duplicem esse divisionem scientiae divinae communiter receptam; alteram scilicet in scientiam *simplicis intelligentiae* et *visionis*; alteram vero in scientiam *naturalem* et *liberam*. Quocirca videndum est, utrum non sine recta ratione scientia quam asserimus, spectari possit nec ne quasi *media* inter haec bina extrema utriusque memoratae divisionis. *Medium* vero participat aliquid de extremis, ut notavit Aristoteles (5. *Phys. Auscult.* c. 1.) his verbis. *Quod enim est interiectum, quodammodo est extrema. Proinde et hoc cum illis, et illa cum hoc collata, dicuntur quodammodo contraria: ut media chorda ad nœn comparata, est gravis; et ad hypaten comparata, est acuta; et fuscum comparatum ad nigrum, est album; et comparatum ad album, est nigrum.* Confer etiam divum Thomam (*Somma th.* 1. p. q. 50. a. 1. ad 1.).

His praemissis, ad quaestionem propositam respondeo

hanc appellationem rectissimam esse, praesertim quia ut sapienter notavit Augustinus (Lib. 83. Qq. q. 46. init.), *licet cuiusque rei cognitae, quae nullum habet usitatum nomen, quodlibet nomen imponere.* Ratio generalis haec est. Duplex namque divisio scientiae divinae paulo ante memorata optime potest intelligi, et plerumque a Doctoribus ita usurpatur, ut scientia conditionalium quam asserimus, revera aliquid commune habeat cum binis membris utriusque divisionis. Atqui id est proprium de ratione *media*, ut cum Aristotele notavimus. Ergo iure haec scientia *media* nuncupatur. Probatur minor sive de prima, sive de altera divisione agatur.

Et quod priorem divisionem spectat, qua scilicet scientia divina altera *simplicis intelligentiae*, *visionis* altera nuncupatur, ea dupliciter et quidem recte accipi potest et revera plerumque accipitur. Primo sic, ut haec nomina sumantur in illa amplitudine qua in usu erant apud antiquiores theologos et nominatim apud S. Thomam (*Somma th.* 1. p. q. 14. c. 9.). Nempe per scientiam *simplicis intelligentiae* venit ea scientia qua Deus cognoscit quaecumque nec fuerunt, nec sunt, nec erunt: scientia contra *visionis* audit ea qua Deus cognoscit quaecumque in aliqua temporis differentia contingunt. Si ita res intelligatur, manifestum est, et a nemine in dubium revocatur, allatam divisionem esse adaequatam, atque adeo nihil esse medium inter utrumque extremum. Quare, iuxta hunc intelligendi modum, scientia conditionalium de qua loquimur, optime revocatur ad scientiam *simplicis intelligentiae*. At enim potest ulterius ea divisio sic accipi, ut nomine scientiae *simplicis intelligentiae* veniat solummodo scientia quidditativam rerum creabilium: scientia autem *visionis* dicatur qua Deus intuetur quaecumque contingunt aliquando. Terminis ita intellectis, manifestum est, scientiam conditionalium quam adstruximus, participare de utroque extremo, adeoque mediam incedere inter utrumque. Participat quidem de priori, quia quemadmodum possibilia, prout huiusmodi, non sunt actu, sic etiam conditionalia, quamdiu in absoluta non commutentur. Participat

etiam de altero extremo propterea quia in eiusmodi conditionalibus non assertur sola possibilitas eventus, quem admodum fit quando sermo est de mere possibilibus; sed assertur praeterea ipsa existentia seu futuritio eventus, tametsi sub conditione, in quo certe assimilatur scientiae visionis.

Consimilis ratiocinatio fiat, si consideretur scientia divina, prout modo *naturalis*, modo *libera* nuncupatur. Primo enim scientia naturalis intelligi potest ea quae nequit non esse in Deo; libera vero, quae potest in Deo non esse, deficiente scilicet obiecto contingente quod respicit. Patet iterum, haec membra sic intellecta esse contradictoria, proindeque nullum existere posse medium inter ea, et scientiam conditionalium liberorum ad secundum spectare. Potest praeterea nomine scientiae *naturalis* intelligi, quae in Deo est *antecedenter ad omne decretum actuale divinae voluntatis*; nomine vero scientiae *liberae*, quae *tale decretum subaudiatur in eoque fundetur*. Sic porro scientia conditionalium non ad secundum, sed ad primum membrum revocanda est, ut ex resolutione praecedentis quaestionis constat. Ex duplici hac observatione manifestum est rursus, scientiam conditionalium liberorum merito vocari posse *mediam*, ut quae ex una parte non est simpliciter necessaria, ob contingentiam scilicet obiecti quod cognoscitur; et ex alia parte non est *Deo libera*, propterea quia non in determinatione habita in divino decreto, sed in libera optione creatae voluntatis imittitur, qua supposita Deus naturali necessitate haec obiecta respicit, ut qui snapte natura determinatus est ad omne verum intendum (1).

(1) Ex his quae diximus patet, duo esse de ratione scientiae divinae, prout hoc nomen usurpatum fuit haecenus a Doctoribus qui talis scientiae genus vel admitterent, vel etiam repudiarent. Primo quidem ex parte obiecti ea versatur non circa mere possibilita nec circa eventus absolute futuros, sed circa eventus sub conditione futuros. Secundo vero et *potissimum* ea est eiusmodi, ut fundamentum proximum et obiectivum suae veritatis non repetat ex determinatione habita per decretum divinae voluntatis, sed ex ipsa libera

491. *Quaer. VI.* — Utrum res creatae, continenter praesertim futurae, dici possint, nec ne, in seipsis a Deo cognosci?

Respondeo distinctione opus esse eaque multiplici. Haec itaque diligenter observa.

I. Primo dicuntur res a Deo cognosci in *seipsis*, quo significetur Deus non solum cognoscere illud esse quod ipsae habent in suis causis, verum etiam esse proprium et formale uniuscuiusque, prout singula in seipsis constituuntur et ab aliis distinguuntur. Hoc modo certissimum apud omnes est et sine ulla controversia, nedum contingentia conditionate futura, sed creaturas omnes omnino a Deo cognosci, ut ante docuimus [472], et elegantius discursu ostendit S. Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 14. a. 3.).

II. Dicitur secundo aliquid cognosci in *seipso* quando, ut ait idem S. Doctor (*loc. cit.* a. 5.), cognoscitur per

optione creatae voluntatis: ex quo fit, ut diximus [484] ut necessitas quam actus liberi conditionales a Deo praevisi ex huius scientiae infallibilitate induunt, sit et ipsa *consequens non antecedens*. Quare qui primum dumtaxat concederet, non propterea censendus est fautor scientiae mediae. Vide quae scite observarunt Scriptores *Civilitatis Catholicae* (Serie XIII. vol. 5. quad. 880. pag. 466. segg.). Nonnulli anteaetis temporibus valde conqnesti fuere contra theologos Societatis Iesu, quasi isti gloriantur doctrinam hoc nomine significatam ipsi speciali quadam ratione illustraverint. Apposite doctissimus Didacus Ruiz adversus Gasparem Ram. "Cuiuslibet auctoris, ait, licet modestissimi, et iactantiam inanemque gloriam concupiscitis, partes sunt certa pro certis tradere, dubia seu probabilia pro dubiis seu probabilibus, antiqua pro antiquis, nova pro novis. Hoc ratione docuerunt auctores nostri, quando notant, quaestionem de scientia conditionali nunquam antea fuisse ventilatam scholastica disputatione sibi penitenti, nec eius difficultates singillatim expeditas. Neque poterit Ram unicum saltem dictatorem proferre, qui scripserit ante annum 1580. In hoc igitur sensu Vasquez (1. p. D. 67. c. 4. n. 27.) dicit, antiquos Scholasticos de scientia sub conditione nihil omnino disputasse, nec meminisse: cum tamen omnes utamur testimonio Scripturae, Sanctorum Patrum, et Scholasticorum ad eiusmodi scientiam probandam, quae olim sub generali nomine visionis futurorum, aut sub scientia simplicis intelligentiae comprehendebatur. (*De Scientia Dei*, D. 76. sect. 6. n. 6.)

speciem propriam adaequatam ipsi cognoscibili, sicut oculus videt hominem per speciem hominis; vel etiam, ut ipse definit alibi (Qq. Disp. Ver. q. 2. a. 3. ad 5.), *quam ex ipsa re intellecta vel cognita formatur actus intuens*. Hoc modo certissimum est etiam et sine controversia, Deum nullam rem creatam cognoscere in seipsa. Non enim alia quasi specie formatur intuitus divinae mentis, quae non sit ipsamet Dei essentia [471].

III. Tertio et potissimum aliquid dicitur in seipso cognosci ad denotandum id quod ex parte obiecti est proprium et proximum fundamentum unde constituitur in ratione scibilis. Iam age, quicumque repudiant physicas praedeterminationes a Bannesio excogitatas, fateri debent, hac ratione actus liberos creatae voluntatis a Deo cognosci, prout expresse docet S. Thomas his verbis. "Futurum dupliciter potest cognosci: uno modo in causa sua; et sic futura quae ex necessitate ex causis suis proveniunt, per certam scientiam cognoscuntur, ut solem oriri cras; quae vero ex suis causis proveniunt ut in pluribus, cognoscuntur non per certitudinem sed per coniecturam, sicut medicus praecognoscit sanitatem infirmi . . . ; quae vero proveniunt ex causis suis ut in paucioribus, penitus sunt ignota, sicut casualia et fortuita. ALIO MODO COGNOSCUNTUR FUTURA IN SEIPSIS; ET SIC SOLUS DEI EST FUTURA COGNOSCERE, non solum quae ex necessitate proveniunt, vel ut in pluribus, sed etiam casualia et fortuita. Quia Deus videt omnia in sua aeternitate, quae, cum sit simplex, toti tempori adest, et ipsum concludit; et ideo unius Dei intuitus fertur in omnia quae aguntur per totum tempus, sicut in praesentia, et videt omnia ut in seipsis sunt, sicut supra dictum est cum de Dei scientia ageretur." (Summa th. 1. p. q. 77. a. 3.) Confer testimonia eiusdem S. Doctoris quae ante exscripsimus [479, seqq.]. In eandem sententiam loquuntur Ecclesiae Patres quum per modum axiomatis enuntiant, non ideo rem esse futuram quia a Deo praescitur, sed ideo a Deo praesciri quia est futura. Sic enim huiusmodi causalem nitide exponit Albertus M. inquires. "Origenes (Lib. 7. in Ep. ad Rom. c. 8.; lib. 2. Cont. Celsum,

n. 20.) intendit, quod futurum, quia futurum est, scibile sit a Deo, h. e. habeat aptitudinem ad sciendum; et sic futurum nullam dicit causam scientiae in sciente, sed dicit rationem aptitudinis in scibili." (Summa th. p. 1. q. 61. n. 3.) (1)

IV. Remanet adhuc quarta acceptio, qua a nonnullis Doctoribus praedicta loquendi formula intellecta fuit, quaeque differt plurimum a triplici explicatione modo tradita. Res est subtilis, atque ita explicari potest ad mentem Card. Toleti (In 1. p. q. 14. a. 5.). Hic vir doctissimus, aliique

(1) Origeni haec in re prorsus omnino consentiunt Chrysostomus (Hom. 60. al. 59. in Math. c. 18. in illud *Vae mundo a scandalis*), Epiphanius (1. Adv. haer. Haeres. 38.), Cyrillus Alexandrinus (in Ioan. lib. 11. c. 9. pag. 975, 976.), Eusebius Caesar. (Praep. Evang. lib. 6. p. 287.), Damascenus (Diad. cont. Manich. n. 79.), Quibus et Latinis accedunt Hieronymus (in Ezech. c. 2. v. 5.; in Hierem. lib. 5. c. 26. init.), Augustinus (De lib. arbit. lib. 3. c. 3. 4.), Gaudentius Ep. Brixiensis (Serm. 3. De scandalo. Apud paschalis. circa med.). Quare haud immerito Gabriel Vasquez: "Communis doctrina Patrum, ait, et ratione bene perspecta res haec extra controversiam esset, si animus indagandae veritatis potius quam contentioni intentus esset." (Apud Eminentissimum Franzelin, De Deo Uno, th. XLII.) Quod porro hic asserimus, futura scilicet contingentia a Deo cognosci in seipsis, nihil admodum contradicit his quae in resolutione quaest. II. paulo ante asseruimus, sed haec aptissime solum ipsa cohaerent. Cum enim actus liberi creatae voluntatis dicatur in seipsis a Deo praesciri, minime sane per illa verba in seipsis huiusmodi actus dicuntur intelligi independentem a divina cooperatione; ex ea quippe per se et immediate dependent, ut a sua causa efficiente, etsi non unice se sola influente, sed cooperante dumtaxat. Atqui id satis superque est, ut Deus tantum dici possit primo et per se obiectum divinae scientiae; unde verissima etiam ratione ipse dicitur se intelligendo omnia intelligere, et creatura omnia in seipso intelligere, ut ex dictis (lib. XIII) abunde patet. Confer Didacum Ruiz (De Scientia Divina, D. 5. sect. 3. coll. D. 75. sect. 1.), Ludovicum Molina (In 1. p. q. 14. a. 13. D. 17.). Becanum (Summa th. 1. p. tr. 1. c. 10. qq. 6, 7, 11, 12.); ex quibus locis, si legantur, manifestum fit, hos auctores, ad substantiam huius quaestionis quod attinet, nihil edicere contrariam doctrinam, quam haec in re tradit Suarez (Opus. De Scientia Dei, lib. 1. c. 8. lib. 2. c. 5, 6, 7. Tract. De Deo, lib. 3. c. 3. n. 17.).